

dere de alimentis: ita verior sententia ex *lib. 5. §. 4. et seqq. ff. de agnoscend. et alend. liber., et lib. 8. eod.,* ubi onus alendi liberos generaliter attribuitur patri, *et lib. 5. ff. de ventre in poss. mitt.,* ubi JClus. ait; *curator ventris alimenta mulieri statuere debet; quia videntur, quæ ita præstantur, ipsi præstari, qui in utero est.*—Nec obstat *lib. 9. Cod. de patria potest.,* ex qua nonnulli volunt matrem obligari usque ad triennium alere proles; nam lex ista, ut bene advertit Lauterbach, Schmier, et alii, procedit de alimento lactis et cura infantis: non verò de aliis alimentis, quæ etiam in utero existenti pater præstare tenetur. In defectu patris ad alendos liberos obligantur ejus ascendentes; et tandem mater (*cit. leg. 5. §. 2. et 4. ff. de agnoscend. liber.*) Si verò liberi aliunde sufficientem sustentationem habeant, excusatur pater ab eorum sustentatione; uti etiam si ingratitude delictum in patrem committant (*lib. 5. §. 7. et 11. eod.*) Porro nomine alimentorum venit victus, vestitus, habitatio, medicamenta et cetera, quibus tuendi curandive corporis nostri gratia ulimur (*l. 44. ff. de V. S.*) Et quamvis de jure civ. *Nov. 89. cap. 15. Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.* prohibeantur alimenta dari spuris, seu ex damnato coitu natis, hoc tamen correctum est per jus *Can. cap. 5. de eo qui duxit,* ubi jubentur tales liberi sustentari, cum juri natura i contrarietur prolem, quæ non deliquit, ab alimentis parentum arceri.

15. Q. VI. *An matrimonium sit in præcepto?*

R. Respectu communitatis humanæ est in præcepto; non verò respectu singulorum hominum. Ratio primi, quia Deus præcepit speciem humanam propagari, et ita conservari; *Gen. 2. Crescite et multiplicamini;* ergò hoc præceptum afficit communitatem generis humani: et ideo in casu necessitatis posset is, qui communitati præsidet, aliquos cogere ad matrimonium. Ratio secundi, quia non est necesse ad conservationem generis humani, ut singuli matrimonio jungantur: imò hodie, dum terra repleta est hominibus, expediet ut cælum repleatur virginibus.

16. Q. VII. *An concubinitus, in quo unicus cælebs unica cælibi jungitur absque contractu maritali, sit licitus?*

R. Negativè; nam licet olim jure civili permissus fuerit, jure tamen naturali, divino et Canonico damnatur, cum foveat peccatum mortale tanto gravius et perniciosius, quanto concubinitus est diuturnior (*Can. 6. audite d. 34. Can. 11. meretrices 32. q. 4.*) Unde concubinarij, donec deserant occasionem proximam peccandi, non sunt absolvendi in Sacramento pœnitentiæ, de quo plura *Trid. Sess. 24. c. 8. de reform. matrim.*—Nec obstat *Canon 4. cum seq. d. 34.*; nam loquitur de uxore ducta sine solemnitatibus civilibus, quæ in sacris litteris et in jure sæpe dici solet concubina, licet reipsa sit vera uxor.

### §. III.

#### De Impedimentis Matrimonii.

17. Cùm in matrimoniis maximè spectanda sit honestas (*l. 42. ff. de ritu nuptiar.,*) rectè jus induxit certa impedimenta seu obstacula moralia, quibus certa matrimonia ob quamdam indecentiam iniri vetantur: et de his in præsentia.

18. Q. I. *An d. etur in Ecclesia, et penes quem resideat potestas inducendi impedimenta matrimonii?*

R. 1.º Potestas ista datur in Ecclesia: ita sub anathemate definiit *Trid. Sess. 24. Can. 4.*; nam præscribere formam contractui, ad rationem sacramenti elevato, non excedit potestatem Ecclesiæ, cùm Christus Dominus hoc ipso, quòd non determinaverit, qui contractus matrimonii sit legitimus, censatur talem determinationem specificam reliquisse arbitrio Ecclesiæ; ergò.

2.º Potestas inducendi impedimenta dirimentia matrimonii residet in solo Papa: ita com. ex continuo usu Ecclesiæ; nam negotium istud circa talia impedimenta est unum ex gravioribus, ergò meritò reservatur Sedi Apostolicæ. Unde Prælati Papa inferiores, licet ex justa causa interdicerent possint matrimonia, seu aliqua impedimenta impediendi statuere, non tamen dirimentia; cùm potestas ista nullo jure sit eis attributa.

3.º Princeps politicus, sive fidelis, sive infidelis, non potest fidelibus statuere impedimenta dirimentia matrimonii; bene verò infidelibus sibi subjectis ita com. cum *S. D. in 4. d. 42. art. 2. ad 4. 1.* Ratio primi, quia contractus matrimonii propter conjunctionem cum sacramento, est res spiritualis subducta à potestate politica, et attributa soli potestati Ecclesiasticæ, (*Trid. Sess. 24. Can. fin.*) neque fideles in contrahendis matrimoniis subduntur Regibus, sed Pontificibus; ergò. Ratio secundi, quia matrimonia infidelium sunt purus contractus humanus et civilis, cui Princeps certam formam præscribere potest; ergò, et impedimenta statuere, quorum plura videre est *tit. ff. de ritu nupt.*

4.º Consuetudine induci et abrogari possunt impedimenta dirimentia matrimonii, etsi consuetudo ista non sit expressè approbata à Papa: ita communior ex *reg. generali cap. fin. de consuetud.,* ubi approbatur omnis consuetudo rationabilis et legitimè præscripta; sed consuetudo, qua inducuntur, vel abrogantur impedimenta solo jure Ecclesiastico dirimentia matrimonium, potest esse rationabilis et legitimè præscripta, seu legitimo tempore durans, sicut *cap. 1. et 3. de cognat. spirit.* jubetur observari consuetudo circa impedimentum cognationis spiritualis; ergò. Ex hoc capite multi DD. præsertim Germani, docent matrimonia hæreticorum in Germania, quæ contracta sunt cum solo impedimento juris Ecclesiastici esse valida, quia leges connubiales, saltè quod vim irritativam, abrogant, tæ videntur per contrariam consuetudinem, quæ in his circumstantiis re-



putatur rationabilis ob bonum commune, ne plurima matrimonia dissolvantur, filii pro spuris habeantur, atque incapaces sint officiorum publicorum et beneficiorum, ne pax et tranquillitas publica turbetur, præsertim, si nullo modo speretur observantia sac. Canonum.

*Dices*:—I. Consuetudines istæ reprobantur *cap. 1. h. t. et c. 5. de consanguin.*—II. Sequeretur, quod Sacerdotes apostatæ validè contrahant matrimonia in terris hæreticorum.—III. Consuetudo *cap. 1. et 3. de cognat. spirit.* ideo sustinetur, quia expressè approbatur à Papa.

*R. Ad I. C. 1. h. t.* prætexebatur lex, aut consuetudo contraria juri divino, vi cujus matrimonium ritè contractum dissolveretur; *cap. 5. cit.* procedit de consuetudine irrationabili et legitime non præscripta, quam præsumptores inchoare attentarunt. — *Ad II. N. S.* Nam quoad matrimonia Sacerdotum et religiosorum non est inducta consuetudo, sed potius consuetudo contraria observatur: siquidem isti ad Ecclesiam reduces separantur ab uxoribus putatis, et hæ ad alias nuptias transire permittuntur.—*Ad III.* Approbatio ista est solùm declarativa legitimæ consuetudinis, quæ ante ullam personalem approbationem vim suam habuit.

5.º Papa ex gravi causa potest inter duas personas interdicere matrimonium sub nullitate, seu cum decreto irritante, v. g. si magna sit inæqualitas contrahentium, timor discordiarum, scandalorum etc.; nam Papa, cum possit respectu omnium, etiam potest respectu duorum ponere impedimentum dirimens: imò in pœnam gravissimi delicti, præsertim si pendeat in futurum, et timeatur continuandum in posteris, potest aliquem perpetuò inhabilitare, ne matrimonium contrahere possit, sicut, teste Calderin. Urbanus V. inhabilitavit Barnabonem Vice-Comitem Mediolanensem, ejusque liberos Ecclesiæ rebelles. Ceterum ut licitè, imò et validè, statuatur impedimenta dirimentia, requiritur justa causa; quia matrimonium est juris naturalis permissivi respectu singulorum; quod jus tolli non potest vel mutari absque justa causa.

19. Q. II. *Qui obligentur legibus et impedimentis nuptialibus?*

*R.* 1.º Si impedimenta sunt juris naturalis et divini, iis ligantur omnes homines, etiam infideles: nam ab obligatione juris naturalis et divini nemo eximitur.—2.º Impedimentis juris Ecclesiastici ligantur soli fideles seu baptizati, etiam regulariter hæretici: nam hi omnes subduntur Ecclesiæ, ejusque legibus. At infideles, ut judæi et pagani, cum sint extra Ecclesiam, non ligantur his legibus; tenè verò illis, quæ à Papa, ut principe politico, aliisque principibus eis præscribuntur.

20. Q. III. *Quotuplicia sunt impedimenta?*

*R.* 1.º Duplicia: *Dirimentia*, quæ vitiant valorem matrimonii, ut hoc validè non contrahatur; et *impedientia* tantùm, quæ obstant honestati, ut matrimonium validè quidem, non tamen licitè contrahatur: et in his locus est regulæ: *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*, ex *cap. 16 de regular.*—2.º Utraque hæc impedimenta dividuntur in ea quæ sunt juris naturalis, et quæ juris Canonici seu positivi.—De jure naturali tantùm impedientia sunt *votum et sponsalia*, quia res uni promissa, licitè et honestè alteri non traditur; dirimentia verò sunt: *error personæ, ætas infan-*

*tilis, impotentia, ligamen, et consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ*: nam priora quatuor ex natura sua adversantur substantiæ matrimonii; ultimum verò ob perpetuam turpitudinem, quæ reperitur in matrimonio patris cum filia, et filii cum matre irritat ejusmodi matrimonium. Cetera sunt juris positivi; et quidem, de jure civili romano varia inducta fuerunt impedimenta dirimentia: v. g. liberi sine consensu patris non poterant inire matrimonium, senatores eorumque liberi cum libertinis, tutor et ejus filius cum pupilla, præses provinciæ cum fæmina provinciali, et plures alii non valebant certa matrimonia contrahere, ut fusè refertur *tit. ff. de ritu nuptiar.*; sed in Ecclesia Christi hæc impedimenta non curantur, nisi illa, quæ à sacris Canonibus recepta et approbata sunt.

21. Q. IV. *Quæ in Ecclesia sint impedimenta impedientia matrimonii?*

*R.* De jure hodierno sunt tantùm quatuor: *Ecclesiæ vetitum, feriae, sponsalia, votum.* De jure antiquo erant 12: scilicet impedimentum ex catechismo, et ex 7 criminibus. De impedimento sponsalium et voti simplicis castitatis agitur *tit. 4 et 6*: de reliquis omnibus *tit. 16* quo te remitto.—\* Circa ista impedimenta impedientia, vide notata in Elencho I. n. 21.

22. Q. V. *Quot et quæ sint impedimenta dirimentia?*

*R.* De jure antiquo sunt duodecim, vel quatuordecim, si triplicem cognationem numero distinguas. His de jure novo Trid. adduntur duo: *clandestinitas et raptus*: ætas verò impuberum reducitur ad impotentiam. Hæc impedimenta comprehenduntur his antiquis versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si forte coire nequibus,  
Si parochi et duplicis desit præsentia testis,  
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:  
Hæc facienda vetant, connubia cuncta retractant.

*Error* hic intelligitur circa individuum personæ: *conditio* significat servitutem: *votum* professionem religiosam: *cognatio* propinquitatem personarum legalem, spiritualem et carnalem: *crimen* machinationem in mortem alterius conjugis, vel adulterium cum promissione matrimonii: *cultus disparitas* religionem aliam à christiana: *ordo* tres sacros ordines: *ligamen* vinculum matrimoniale cum alio: *vis* metum: *honestas* impedimentum publicæ honestatis: *si sis affinis* impedimentum affinitatis: *si forte coire nequibus* impedimentum impotentiae: cetera verba significant impedimentum *clandestinitatis et raptus*. Ex his impedimentis quædam habent suos proprios titulos; nam de ætate agitur *tit. 2*; de clandestinitate *tit. 3*; de ligamine *tit. 4*; de conditionibus adversis matrimonio *tit. 5*; et de conditione servili *tit. 9*; de voto et sacro Ordine *tit. 6*; de crimine *tit. 7*; de cognatione *tit. 11, 12 et 14*; de impotentia *tit. 13*. Reliqua non habent proprios titulos in jure, sed quædam insinuantur *hoc tit.*, ac proinde hic mihi videbatur agendum de errore, vi seu metu, raptu, dispari cultu, et justitia publica.



*Impedimentum erroris.*

23. Hic revoca ex dictis *lib. 3. tit. 14.* errorem in contractibus alium esse *substantialem*, qui versatur circa ipsum objectum substantiale: alium *accidentalem*, qui versatur circa accidentia et circumstantias objecti. Uterque vel est *antecedens* seu *dans causam contractui*, quo præcognito, contractus non fuisset celebratus: vel *incidens* seu *concomitans*, quo præcognito, nihilominus contractus fuisset celebratus.

24. Q. VI. *Quis error dirimat matrimonium?*

R. 1.<sup>o</sup> Error substantialis circa individuum personæ reddit matrimonium ipso jure naturali nullum: ita com. ex *Can. un. 29. q. 1.* ibi: *error personæ, conjugii consensum non admittit.* Nam ad valorem matrimonii requiritur consensus, *sine quo certa nequeunt fœdus perficere conjugale* (*cap. 26. h. t.*); sed stante errore substantiali circa individuum personæ, nullus adest consensus, quia *errantis nulla est voluntas, nullus consensus*, per *l. 8. 9. C. de J. et F. Ignor.*; ergo.—Instantiam habes in omnibus contractibus, in quibus error circa substantiam objecti causat invaliditatem actus, ut si emas poculum aurichalcinum putans esse aureum, aquam coloratam pro vino etc. Porro cum impedimentum istud sit juris naturæ, locum habet etiam in infidelibus: neque ab Ecclesia tolli potest, cum Papa consensum personalem supplere nequeat.

*Dices*:—I. Sine consensu stat matrimonium in eo, qui contrahit sub conditione impossibili (*cap. fin. de condit. apposit.*), et in eo qui ante Trid. sponsam de futuro cognovit. (*c. 30. h. t.*)—II. Jacob contraxit cum Lia, licet cogitaverit esse Rachelem.—III. Error personæ non invalidat reliqua sacramenta; ut si puer baptizetur, cum tamen sit puella.

R. *Ad I.* In utroque casu, si verus consensus defuit, non est *verum* matrimonium; sed tantum *præsumptum*, quæ præsumptio in foro civili cedit veritati.—*Ad II. N. A.* Nam contractus iste à principio fuit invalidus, deinde autem Jacob expressè consensit in Liam.—*Ad III. N. C.* Nam in ceteris sacramentis non attenditur hæc vel ista persona, sed solum præsens, quæcumque illa sit, nisi minister intentionem suam restringere ad hoc individuum personæ: e contra in matrimonio attenditur hæc individua persona cum contrahentis intersit sociam thori habere illam, in quam consentit.

2.<sup>o</sup> Error substantialis non tantum antecedens, sed etiam incidens non faciat involuntarium, sed potius secum trahat voluntarium habituale, tamen non causat actuale et positivum voluntarium; seu consensum ad valorem matrimonii requisitum; ergo tali casu ex defectu consensus, matrimonium est invalidum; ut si contraxisti cum Caja, quam cogitasti esse Bertam, et nihilominus contraxisses cum Caja, si scivisses esse Cajam: hic enim, ut vides, non fuit actualis contractus celebratus cum Caja, sed tantum fuisset celebratus, si notitia Cajæ adfuisset.

3.<sup>o</sup> Error circa qualitatem et circumstantias personæ, sive sit antecedens, sive incidens, per se et regulariter non vitiat valorem matri-

monii: ita com. ex *Canon. un. in fin. 29. q. 1.* ibi: *error fortunæ et qualitatis non excludit consensum.* Nam stante tali errore, absolutè et voluntariè consentitur in hanc numero personam; qui consensus sufficit ad valorem matrimonii, licet secundum quid sit involuntarius circa accidentia et causas impulsivas: ut circa nobilitatem, divitias, sanitatem etc. cum quibus matrimonium non contrahitur; ergo. Præterea bonum commune suadet talia matrimonia sustineri: cum enim error circa accidentia sæpè interveniat in contractu nuptiali, multa matrimonia deberent dissolvi cum ingenti prolium et reipubl. damno et scandalo publico. Excipe:—I. Nisi qualitas deducta sit in conditionem: ut *duco te, si es nobilis, dives* etc.; tunc enim deficiente conditione, deficit matrimonium. In dubio non censetur qualitas deducta in conditionem, quia matrimonia conditionata non solent admitti.—II. Nisi qualitas redundet in substantiam seu individuum personæ, quia hoc casu non est error merè accidentalis, sed substantialis circa personam, quatenus vestitam hac qualitate. S. D. 1. p. q. 29. a. 1. Quando autem qualitas redundet in substantiam personæ, difficile est dignoscere: Sanchez hanc regulam subministrat: si persona, prius non visa, per certam qualitatem designetur, animoque apprehendatur, tunc error in qualitate redundat in errorem personæ: v. g. Titius ob spem regni vult contrahere cum primogenita hujus Regis, adeoque in hunc finem eligit matrimonium, tanquam medium: si deinde ei offeratur secundò genita, consentiens in illam censetur errare in persona. Item vult quis inire amicitiam cum hac illustri familia, et in hunc finem eligit matrimonium cum Titia Caji filia; si deinde alia persona ei offeratur, in eam consentiendo, errat in persona. E contra si qualitas non determinat hoc individuum personæ, error circa illam non redundat in errorem personæ: v. g. Titia dicit, se esse primogenitam Regis, non determinando cujus Regis; vel dicit, se esse illustrem, non determinando, cujus sit familiæ; error aut dolus circa has qualitates non transfunditur in errorem personæ, sed tantum impellit ad contrahendum; et cons. stante tali errore, valet matrimonium.

*Dices*: I. Contrahens cum errore antecedente circa qualitatem, ita est dispositus, ut deficiente qualitate, nollet contrahere; ergo consensus ipsius non est voluntarius, et cons. insufficiens ad valorem matrimonii.—II. Contractus bonæ fidei ex errore antecedente initi, ipso jure non valent in probabili sententia, vel saltè rescindi possunt; ergo et matrimonium.—III. Metus vitiat matrimonium, licet causet tantum secundum quid involuntarium; ergo et error circa qualitatem, cum et iste causet secundum quid involuntarium.

R. *Ad I.* Habitualis dispositio contraria non tollit consensum voluntarium in personam; ergo nec vitiat matrimonium.—*Ad II. D. A.* Contractus ex natura sua solubiles, O. A. Ex natura sua indissolubiles, sicut matrimonium, aut professio religiosa N. A.—*Ad III. N. C.* ob contrariam juris dispositionem. Disparitas congrua est: quia metus minuit voluntarium circa substantiam personæ, facilius probari potest, neque eum removere est in potestate metum passi; e contra error minuit voluntarium



circa qualitates, difficulter probari potest, et plerumque diligentia adhibita removeri potest; ergo licet irritetur matrimonium metu initum, non tamen dolo aut errore accidentali contractum.

4.<sup>o</sup> Error privatus, quo alter, vel uterque falso putat subesse impedimentum dirimens, quod reipsa non subest, non obstat valori matrimonii: ita Sanch. cum citt. contra Abb. Sylv. Sotum etc. Nam error iste non impedit consensum per *Clem. unic. de consang.*, ubi contrahentes scienter in gradibus prohibitis excommunicantur: quod sanè non fieret, si non consentirent; ergo. Tum quia talis error, licet inducat peccatum, quatenus agitur contra conscientiam, tamen rem ipsam non mutat, ut patet in aliis sacramentis: ut si velit quis more christianorum baptizare, valet baptismus, et si baptizans falso cogitet baptismum non esse sacramentum.—Nec obstat *lib. 15. ff. de acquir. hæred.*: nam ibi hæres voluntarius, qui cogitavit se esse necessarium, ideo repudiare nequit hæreditatem, quia scire debet, ex quo jure et causa similem actionem exercent; quod tamen ad matrimonium non requiritur.

#### *Impedimentum metus.*

25. *Nota*, impedimentum metus antiquo et perpetuo usu Ecclesie introductum esse; non verò jure naturali, ut vult Scotus et alii, cum spectato jure naturali, contractus metu gesti valeant, eo quod metus non tollat voluntarium simpliciter.

26. Q. VII. *Quis metus dirimat matrimonium?*

R. 1.<sup>o</sup> Metus gravis injustè et directè à causa libera incussus ad extorquendum matrimonium, vitiat valorem illius: ita deciditur *cap. 14. 15. 28. h. t.* Nam Ecclesia voluit matrimonia esse plenè libera, seu spontanea: tum propter arduitate vitæ conjugalis, tum propter significationem voluntariæ conjunctionis Christi cum Ecclesia, tum maximè ad præcavendos tristes et infelices exitus, qui ex matrimoniis coactis sequi solent, ut discordia inter conjuges, malum prolis, pericula adulterii etc. Gravis metus censetur, v. g. mortis, exilii, mutilationis, confiscationis bonorum, carceris squalidi, privationis officii etc. Levis autem metus, qui non cadit in virum constantem, sed facilè superari potest, non irritat matrimonium: cujusmodi etiam regulariter est metus reverentialis erga parentes, dominos etc.—Dicitur autem 1.<sup>o</sup> *injustè*; nam si metus justè incutiatur, non vitiat matrimonium, cum non injuriet: ut si judex deflorem cogat ad ducendam defloratam, cui matrimonium promisit. Dicitur 2.<sup>o</sup> *à causa libera*; nam si metus incutiatur à causa necessaria, ut morbo, peste etc. non vitiat matrimonium; siquidem nullam injuriam infert. Porrò resolutio ista probabilius locum habet etiam in illo casu, quo quis cogitur ad unam, v. g. ex tribus sororibus ducendam, quia et hic deficit plena libertas contrahendi, et infelices exitus timentur.—Nec est paritas à casu, quo electores coguntur, v. g. ad unum ex tribus eligendum, quia hic, præter diversam juris dispositionem, etiam dispar est ratio; cum electio

comparatur sponsalibus, et non matrimonio; neque tanta mala timeantur ex electione, quæ ex matrimonio.

2.<sup>o</sup> Metus indirectè incussus, hoc est, alio fine quàm ad extorquendum matrimonium, probabilius vitiat valorem matrimonii: ita Palatios, Schmier, Schmalz. et alii contra Sanchez, Laym., Zoes etc. Nam jura suprà allegata *c. 14. 15. 28. h. t. c. 2. de eo, qui duxit*, requirunt ad valorem matrimonii plenam libertatem et securitatem contrahendi; neque distinguunt inter metum directè et indirectè incussum, idemque manet motivum, scilicet periculum infelicium et tristem exituum, et similiter injuria inferitur, sive quis directè, sive indirectè cogatur ad aliquod matrimonium; ergo. Unde non valet matrimonium, si ægra contrahat cum medico; aliàs ex justitia ad curandum obligato, quia timet per malitiam ejus se non curandam: vel si innocens contrahat cum judicis filia, quia timet se injustè condemnandum etc.

*Dices*: Tali casu metus non influit in matrimonium, sed hoc spontè eligitur, tanquam medium ad evadendum malum imminens.

R. N. A. Nam matrimonium eligitur in gratiam metum injustè incipientis, atque ita consensus injuria obtinetur; ergo metus influit in hoc matrimonium, et cons. vitiat illud. Ceterum quia juramentum non supplet defectum consensus spontanei, sequitur matrimonium metu contractum, etsi juramento firmatum sit, esse invalidum, ut clarè colligitur ex *cit. c. 2. de eo, qui duxit*.—Cui non obstat *Can. 22. inter cetera 22. q. 4.*; nam licet ibi metus fuerit in promissione, tamen matrimonium, cessante metu, initum est.

3.<sup>o</sup> Matrimonium ex metu invalidum, convalescit, si metus purgetur.—I. Per spontaneam cohabitationem sesquianni.—II. Per voluntariam copulam, nullo metu extortam. *Prima pars* habetur *c. 21. h. t.*, quia talis cohabitatio præsumitur continuata affectu conjugali; estque hæc præsumptio juris et de jure non admittens probationem in contrarium. *Secunda pars* pariter deducitur ex præsumptione, quatenus copula ista voluntaria, ad excludendum peccatum, præsumitur fieri affectu conjugali, et non fornicario, ut rectè observant TT. et Canonistæ (*arg. c. 30. h. t.*), idque ipsum docet S. D. in *4. d. 29. q. un. a. 3. q. 2. ad 2.* Secus dic, si etiam copula videtur metu extorqueretur, quia tunc prior consensus à metu non purgatur.—Nec obstat *cap. 22. h. t. c. 4. de despons. impub., c. 4. qui matr. accus.*; nam jura ista procedunt de copula spontanea: stante enim metu, copula potius præsumitur fornicaria, quàm conjugalis. Quare remedium evadendi fornicationem et malum ex metu imminens, vel erit spontaneus consensus in copulam, vel petitio dilationis in aliud tempus, quo metus deponi possit, vel fortis resistentia.

4.<sup>o</sup> Matrimonium metu initum non est dissolvendum, donec metus plenè probetur per testes et alia indicia; nam metus est quid facti, et de genere delictorum, quæ non præsumuntur, sed probari debent. In dubio, an metus fuerit gravis vel injustè incussus, standum est pro favore et valore matrimonii per *c. 47. in fin. de testib.* ibi: *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm conjunctos legisimè con-*



*tra statuta Domini separare.* Porrò in illo casu, quo constat metum intervenisse, pars altera metum incutiens, non tenetur de novo contrahere, licet pars metum passa spontaneè contrahere vellet; nam obligatio ista ex nullo jure colligitur, neque ex causa injuriæ, cum ista tollatur per matrimonii dissolutionem et aliam pœnam huic delicto infligendam. Si tamen præcesserunt sponsalia valida, vel pars metum passa sentit damnum aliter non reparabile, quàm per matrimonium, poterit pars metum incutiens per judicem compelli ad matrimonium spontaneè contrahendum.—His non obstat paritas ab aliis contractibus, quibus stare tenetur metum incutiens, quia contractus isti sunt validi; at matrimonium metu contractum est invalidum. Cetera, quæ hic incidenter quæri possunt, solvuntur ex dictis l. 1. tit. de his, quæ vi.

#### *Impedimentum raptus.*

27. Nota, secundum antiquos Canones *causæ* 36. q. 1 et 2. matrimonium absolute irritari inter raptorem et raptam, saltè si hæc desponsata non fuit. At per c. 7. et fin. de raptorib. subsistit matrimonium inter raptorem et raptam; dummodò hæc, etiam in potestate raptoris constituta, liberè consentiat. Hodie circa hoc impedimentum servatur jus novum Trid. S. 24. c. 6. de ref. matr.

28. Q. VIII. Quando raptus dirimat matrimonium?

R. Si vir violenter abducat fœminam invitam de loco ad locum matrimonii contrahendi causa, invalidum est matrimonium inter raptorem et raptam, quamdiù rapta est in potestate raptoris, etsi illa post raptum commissum spontè consentiret in raptorem: ità Trid. loc. cit. Et quia ibi generaliter loquitur, non distinguendo inter mulieres, sed libertati matrimoniorum consulendo, sequitur hoc impedimentum dari, etsi rapiatur fœmina inhonestè vivens, aut propria sponsa, præsertim si habeat causam resiliendi.—Præter nullitatem matrimonii statuitur triplex pœna his verbis: *Nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*—Cessat hoc impedimentum:—I. Si rapta constituta in loco tuto extra potestatem raptoris spontè in illum consentiat, *ibid.*—II. Si non fuit invita, sed spontè consensit in sui abductionem, etiam ignorantibus, vel invitis parentibus; quia hic volenti non fit injuria, neque libertas contrahendi minuitur. In praxi tamen propter sedandum scandalum, maximè si parentes sunt inviti, solet rapta separari, et deponi in loco tuto, ut constet de libero consensu.—III. Probabiliùs cessat hoc impedimentum, si fœmina rapiat virum: tum quia dispositio Trid. utpotè odiosa, non est extendenda à raptore ad raptricem; tum quia dispar est ratio, eo quod rarissimum sit, ut fœmina virum rapiat: jura autem non solent condi de casibus insolitis, et per rarò eventibus (l. 4. 5. ff. de LL.)—Neque dispositio ista extendenda est ad

sponsalia, quæ in raptu facta mero jure valent; cum non obligent ad matrimonium in raptu celebrandum, sed si placuerit mulieri in loco tuto positæ; secus ad instantiam ejus ex causa violentiæ rescindi debent.

#### *Impedimentum disparis cultus*

29. Per disparem cultum hic intelligitur diversitas Religionum inter fidelem et infidelem seu non baptizatum: ut si fidelis contrahat cum Judæa vel Saracena.

30. Q. IX. Quo jure dispar cultus dirimat matrimonium?

R. 1.º Non jure naturali aut divino; quia de hoc non constat, licet hoc jure talia matrimonia ob periculum perversionis sint illicita; *Deut. c. 7 et 2. Cor. 6. ibi: Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Sic valida erant matrimonia Jacobi, Josephi, Moysis cum fœminis infidelibus, Davidis cum Maacha Chananeæ etc.: imò ex justa et urgenti causa co honestari possunt etiam in lege Christi, sicut fuit matrimonium S. Cæciliæ cum Valeriano, S. Monicæ cum Patritio, Clotildis cum Clodovæo.—2.º Dispar cultus solo jure Ecclesiastico, tradito potiùs, quàm scripto dirimit matrimonium, ut unanimiter tenent DD. cum usu et praxi Ecclesiæ.

31. Q. X. An subsistat matrimonium hæretici cum catholica et econtrà?

R. 1.º Affirmativè; quia nullo jure irritatur, licet fiat cum pacto, ut proles in hæresi educatur: ità com. contra Schmier. Nam illa solùm pacta irritant matrimonium, quæ adversantur bono physico seu naturali proli, uti est evitare generationem etc.; non verò illa, quæ adversantur bono spirituali; aliàs hæretici validè non contraherent cum pacto, ut proles in hæresi educatur.—2.º Matrimonium catholici cum hæretica regulariter et per se est graviter illicitum (*Can. 15. et seq. 28. q. 1. et c. 14. de hæret. in 6.*), quia jus naturale et Canonicum jubet declinare periculum perversionis et peccati, quod ex talibus matrimoniis imminet; præsertim si adjiciantur impia pacta de quibusdam proliis in hæresi educandis; cum omnes proles educari debeant Deo et ad vitam æternam, non verò Diabolo et ad interitum sempiternum. In certis tamen circumstantiis co honestari potest matrimonium catholici cum hæretica; ut si ex una parte nullum sit periculum perversionis; ex altera verò parte adsit gravis causa, maximè boni publici, ut pacis, defensionis fidei catholicæ etc.

Semper tamen expetenda est facultas non ab Episcopis, sed à Sede Apostolica, ut decisum fuisse testatur à Cong. S. Officii Cardinalis Albitius, de inconstantia in fide c. 36. n. 164. et seq. et n. 204. 205. 225. 238. Ceteroquin dicta facultas concedi numquam solet à Sede Apostolica sine adjectis quibusdam conditionibus et opportunis cautelis, relatis à Bened. XIV. in Epist. ad Primatem Regni Poloniæ *Magnæ nobis* 8 Junii 1748. ut in ejus Bullario Romæ impresso tom. 2. p. 414. et seq. ac lib. IX. de Synod. diœc. c. 3."

His non obstat *Can. 72.* Sextæ Synodi generalis, ubi tales nuptiæ dicuntur irritæ et nefarium conjugium: nam Canon iste Trullanus, vel nunquam receptus fuit ab Ecclesia, vel contrario usu abrogatus est.



*Impedimentum publicæ honestatis.*

32. Hoc impedimentum aliter vocatur justitia publicæ honestatis; estque: Affinitas quædam imperfecta orta ex sponsalibus vel matrimonio rato. Ortum habet à jure Ecclesiastico *Can. 11. et seqq. 27. q. 2. c. 3. 4. 8. h. t. cap. un. eod. in 6. etc.*; quia publica honestas suadet, ut sponsus absteineat à nuptiis cum consanguineis sponsæ, et hæc cum consanguineis sponsi.

33. Q. XI. *In quibus casibus et gradibus publica honestas dirimat matrimonium?*

R. 1.º Jure novo Trid. S. 24. c. 4. *de ref. matr.*, publica honestas oritur ex sponsalibus validis, non verò ex quacumque causa invalidis: neque ultra primum gradum extenditur, v. g. Titius contraxit sponsalia cum Berta, adeoque matrimonium contrahere nequit cum ejus sorore, matre aut filia, bene verò cum nepte, consobrina, avia, etc. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum, quo publica honestas dirimens matrimonium oriebatur ex sponsalibus etiam invalidis, dummodò invalida non fuerint ex defectu consensus (*c. un. h. t. in 6.*), et extendebatur usque ad quartum gradum, sicut affinitas (*c. 8. de consang.*)—Porrò ut impedimentum hoc oriatur ex sponsalibus, hæc debent esse *pura* et non conditionata, *certa*, non verò incerta: ut si quis duabus sororibus promittat matrimonium; tunc enim ante eventum conditionis, vel electionem unius ex pluribus, nullum est impedimentum (*cit. c. un. h. t. in 6.*) Si sponsalia sint invalida ex causa fictionis, putat Sanchez et alii locum esse huic impedimento, quia, cum fictio sit occulta, perseveret publica indecentia obstans matrimonio. Navar., Gobat et alii contrarium probabilius tenent, quia Trid. generaliter dicit hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus quocumque ex capite invalidis.

2.º Publica honestas ex matrimonio rato orta extenditur usque ad quartum gradum inclusivè: ità deciaravit S. Pius V. Const. incip. *Ad Romanum* 1568. 1. Jul. Nam Trid. loquitur solùm de publica honestate, quatenus orta ex sponsalibus; ergò circa honestatem publicam ex matrimonio rato ortam servatur etiam hodie jus antiquum, cum non reperiatur mutatum. Insuper sicut olim, ità hodie locus est huic impedimento, etsi matrimonium ratum purè et non conditionatè in initum, fuerit invalidum, v. g. ex causa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis etc., dummodò non fuerit invalidum ex defectu consensus, v. g. propter metum, errorem personæ, revocatum mandatum procuratori datum etc. (*cit. c. un. h. t. in 6.*) Ex qua generaliter textus videtur sequi hodie impedimentum hoc oriri ex matrimonio clandestino, cum non sit invalidum ex defectu consensus, licèt oppositum probabiliter teneant Sanchez, Engl, et alii; quia talis contractus sine parrocho et testibus non habet figuram matrimonii, præsertim cum personæ à Trid. inhabilitentur ad sic contrahendum, atque ità non videantur consentire.

3.º Impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, etiamsi sponsalia dissolvantur morte vel mutuo consensu (*Can. 11. et seqq. 27. q. 2. c. 8.*

*h. t.*); ità Sanchez, Laym. et communior DD. quam firmat declaratio S. Congr. 1658 die 6 Julii approbata ab Alex. VII, præcipiente id amplius in dubium non vocari, teste Fagn. et Gobat. Nam impedimentum hoc oritur ex sponsalibus semel validis, ut docet Trident. *l. c.*; sed talia fuerunt etiam illa, quæ mutuo consensu dissolvuntur; neque ex ullo jure constat, quòd dissolutis sponsalibus, vel matrimonio rato, etiam dissolvatur honestas publica inde nata; ergò. Oppositum docuerunt Gutier., Barbos, Engl. hic §. 6. n. 3. nixi quadam declaratione S. Congr.; sed huic declarationi, si tamen extitit, præferenda est cit. declaratio Alex. VII, præsertim cum meliori jure et ratione nitatur.

4.º Publica honestas non habet vim retroagendi (*c. un. h. t. in 6.*): ut si Cajus ineat sponsalia valida cum Berta, et deinde matrimonium ratum contrahat cum Titia ejus sorore, ex hoc matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis, et cons. Bertam in uxorem ducere potest; at si Cajus cum Titia fornicatus est, neutram potest ducere: non Titiam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum; non Bertam propter impedimentum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum d. Titia.

De ceteris impedimentis agetur in seqq. titulis.

## TITULUS II.

## DE DESPONSATIONE IMPUBERUM. \*

34. Q. I. *Quæ ætas requiratur ad sponsalia.*

R. 1.º Regulariter septennium completum (*c. 4. 5. 13. h. t. c. un. eod. in 6. et l. 14. ff. de sponsal.*); nam jus non præsumit usum rationis citius adesse, nisi completo septennio. Si tamen post septennium non adesset usus rationis, sponsalia jure naturali ex defectu consensus liberi essent invalida; quia ista præsumptio juris in facto fundata cedit veritati. Porrò cum versemur in materia obligatoria, probabilius septennium computandum est mathematicè de momento ad momentum (*arg. l. 3. §. 3. ff. de minor.*), ut non sit paritas ex *l. 5. ff. qui test. fac.* Nam ibi ultima dies anni 14 habetur pro completa; quia conditio testamenti merum favorem testatoris continet: econtrà sponsalia plura secum gravamina trahunt.

2.º Valent sponsalia à minore septennio inita, si malitia, seu potius prudentia suppetat ætatem, hoc est, si usus rationis acceleretur ante septennium; S. D. in *4. d. 27. q. 2. §. 2. S. Anton., Covar., Sanch. cum citt.*

a—Agitur de hac materia in *6. h. t.* et in Decreto 30. q. 2; et examinatur hic impedimentum ætatis, seu ætas requisita ad sponsalia et matrimonium, et quam necessarius sit consensus parentum ad matrimonium filiorumfamilias.